

30

PENIS
IMPERFORATI
SINGVLARE EXEMPLVM

PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET BOTAN. PROF.
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-
FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS
MEDICI HOC TEMPORE PRODECANO,

AD D. IANVARII CICLOCLXXXII.

DOCTORIS MEDICI HONORES
LEGITIME CAPESSVRVS

RECENSET

SAVLVS MARCVS KOYNITZ,
FRANCOFVRTENSIS MARCHICVS.



TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

ІМПЕРІЯ
ІМПЕРІАЛІСТІВ

ІМПЕРІАЛІСТІВ

ІМПЕРІАЛІСТІВ ІМПЕРІАЛІСТІВ

ІМПЕРІАЛІСТІВ ІМПЕРІАЛІСТІВ
ІМПЕРІАЛІСТІВ ІМПЕРІАЛІСТІВ
ІМПЕРІАЛІСТІВ ІМПЕРІАЛІСТІВ
ІМПЕРІАЛІСТІВ ІМПЕРІАЛІСТІВ
ІМПЕРІАЛІСТІВ ІМПЕРІАЛІСТІВ

ІМПЕРІАЛІСТІВ ІМПЕРІАЛІСТІВ
ІМПЕРІАЛІСТІВ ІМПЕРІАЛІСТІВ
ІМПЕРІАЛІСТІВ ІМПЕРІАЛІСТІВ

ІМПЕРІАЛІСТІВ ІМПЕРІАЛІСТІВ
ІМПЕРІАЛІСТІВ ІМПЕРІАЛІСТІВ

ІМПЕРІАЛІСТІВ ІМПЕРІАЛІСТІВ
ІМПЕРІАЛІСТІВ ІМПЕРІАЛІСТІВ



PROOEMIV M.

Commentariolum academicum scribendi opportunitas, ex maiorum institutis mihi, supremos medicos honores ambienti, oblata, ad singulare quod-dam imperforati penis exemplum, olim a me obseruatum, breui enarratione recensem-dum me induxit. Ego vero ab ipso hoc ar-gumento tractando temperasse mih; quod huiusmodi vitia, quae partim opificis natu-rae error, partim morborum variorum effi-cacitas, obscoenae virorum parti passim in-

A 2

fert



fert, non admodum insolita atque infrequen-
tia intelligerem: nisi ea ipsa medendi ratio,
huic aegroto adhibita, enarratione haud in-
digna esset visa. Erunt, qui imperfectam
hanc fuisse medelam obiiciant. Sed feci,
quoad eius facere potui, hominemque,
quem male formauerat natura, si minus Ve-
neri idoneum, at certe munditiae seruandae
reddidi aptum. Liceat vero mihi haec
omnia per duas persequi sectiones: *alteram*,
quae penis huius naturae inconuenienter
formati historiam complectatur; *alteram* au-
tem, eamque practicam, qualemque
huic malo medendi methodum breuiter
exposituram.

SECTIO

SECTIO PRIOR HISTORICA.

§. I.

Praemonenda quaedam.

Consideranti autem lotii in virili corpore emissarium neutiquam ignotum esse potest, huic officio peragendo praefectam a natura esse *vrethram*, cylindricum istum inaequalis capacitatis canalem: qui ex vesica quoddammodo descendens, sub pubis ossium symphysi per prostatam antrorum exit, et hinc bulbo suo comprehensus sensim ad anteriorem inferioremque dictae symphyseos marginem adscendit, ibidemque peculiari proprioque suspenditur ligamento, dehinc aut propendulus, aut paullo sursum cum reliqua penis parte erectus; prout vir aut a Veneris libidine vacat, aut in eandem incitatur, vel saltem alio quodam morboso irritamento vexatur. Haud adeo longe ab ano ad vrethram spongiosum quoddam accedit receptaculum; quod, cum primum subiicitur vrethrae, bulbum vocant, vnde sensim sursum protenditur, vrethramque paene totam, inferne saltem et ad utrumque latus ambit, cauerno-

A 3

soque



soque corpore firmat. Atque hoc ipsum corpus
ad vrethrae finem retrorsum retrofle&tur, extremis
corporum penis cauernosorum finibus superiniicitur,
glandemque efformat: in cuius media parte vrethrae
ostium patet. Sed ea ipsa, quae modo diximus,
cauernosa penis corpora vtrinque ex imis fere ifchii
ossibus introrsum descendunt, vrethramque ante bul-
bum amplectuntur, hincque parallelo itinere sibi in-
vicem contigua antrorsum progrediuntur, satisque
acutis finibus in ipsa glande desinunt: vnde superne
cylindrus oritur nonnihil depresso, telicto inferne,
vbi bina haec corpora diuergunt, sulco, suscipienda
vrethrae apto. Vniuersae huic fabricae circumiicitur
copiosa tela cellulosa, adipe carens, ceteroqui
sua cute atque cuticula coercita, ad glandis confinia
contra se ipsam, palpebrarum more retroflexa, vt
retrahi possit, tandemque in ipsa glande tenerrimo
flocculentoque mollissimae epidermidis integumento
terminata. Praeputii nomen huic inuolucro adhae-
fit: quod duplicis triangularis frenuli adminiculo in-
ferne cum cellulo penes contextu, ad ipsum vre-
thrae osculum, reuincitur, atque sic postremo ipsum
vrethrae canalem subit, huiuscem internam membra-
nam porro constituturum. Cetera omnia, quae ad
absolutam penes fabricam spectant, et ad nos nunc
parum

parum pertinent, ex anatomicis physiologicisque
scriptoribus a), si lubet, repeti oportet.

§. II.

Scholion.

Sed errare humanum, neque ab ipsa hominis
natura est alienum. Est autem, vbi, quae natura
rectissime concinneque fabrefecit, morbus aut ex-
ternae iniuriae vis peruerit. Atque hoc idem quo-
que peni vrethraeque interdum accidit: vnde, si
quid mali forte oritur, illud prioris originis *conna-*
tum, posterioris hoc *adscititum* dicemus. Nolu-
mus in praesenti tot tamque variorum obseruatorum
medicorum expilare scrinia, in quibus haud pauca
vitiosorum penum maleque formatarum vrethrarum
exempla, mox ex morbis inducta, mox naturae er-
roribus debita, abunde satis deprehenduntur b). Sed
ad vrethrae virtia, quae huius sunt generis, atque a
nostro instituto proprius sunt remota, paululum sub-
sistemus

a) Ex quibus instar omnium erit immortalis memoriae vir, AL-
BERTVS de HALLER in *Element. Physiolog.* Tom. VII.
pag. 469. et seq.

b) Syllogen huiusmodi obseruationum dedit idem illustris de HAL-
LER libr. citat. pag. cit.



sistemus. Faciamus ergo periculum singulorum horum vitiorum, quae passim in hoc vrinae emissario sunt obseruata, in suos ordines dispescendorum. Generatim autem, sicubi vitii quidquam in vrethra deprehenditur, haec aut prorsus deest, aut adest. Si defuit, tunc ex obseruatorum fide, aut exitus lotio intrinsecus per rectum intestinum, aut extrinsecus in aliqua pubis, inguinis, vel perinei sede est concessus. Quod si vero praesens vrethra a naturali ordine recessit, aut in numero, aut in situ, aut in perfectione, vitium quoddam fuit. Numerus a natura fuit alienus, si aut, ratione canalis, duae tresue vrethrae sunt obseruatae; aut ratione loci emissarii, duo, tria, vel plura in glande fuerunt ostia. Sed in situ errasse naturam, aut morbo cuidam cessisse, indicat, aut, si canalem spectas, vrethra per penis dorsum incedens; aut si ostia, quando ad basin vel latus glandis, vel alicubi in pene hiant. Naturali denique perfectioni aduersa sunt cum in vrethra, quando semicanalem tantummodo format, nec ad glandem pertingit; vel passim est concreta; vel a condylomatibus obstructa: tum in glande, si haec male est formata, imperfecta, dimidiata, et quae sunt vitiorum reliqua c).

§. III.

c) *Ibidem.*



§. II.

Singularis exempli recensio.

Ante hos quatuordecim annos memorabile quoddam huius generis exemplum, in quo ad formandam vrethram a suo defecerat ordine natura, puer quidam ex Iudea gente Polonus nobis obtulit. Scilicet anno CCCCCCLXVIII, nundinarum vernarium opportunitate usus, accessit ad nos ex maioris Poloniae finibus, qui Lithuaniae attingunt, Iudeus filium adducens nondum quindecim annos supergressum, ceteroquin sanum vegetumque, ab ipsis vero incunabilis ea in parte, quae virum definit, naturae errore incommode formatum, ita, ut nec consueto more lotium emitte posset, nec vnquam sobolis spes effet procreandae. Petuit simul sollicitus pater, si quid effet consilii auxiliique, ego, quoad eius facere possem, adferrem. Accuratus ergo monstratum examinaui penem, et in eo sequentia obseruavi a naturae ordine aliena. Vniuersi penis penduli longitudo erat trium pollicum latorum. Dorsi ratio a consueto habitu neutiquam recedebat: sed inferior superficies longe planior, ac solet, deprehendebatur, tactuque explorata per circumiectum praeputium ne vestigium quidem vrethrae prodidit,

B

sed



sed corporum istorum cauernosorum, quae a pene cognominantur, commissura tentioris fulci instar, sub cute latuit. Apex penis imperfæta glande erat instructus: quandoquidem anteriores cauernosorum corporum fines tantummodo in subrotundum corpus desinabant, leuiori solum margine sulcato notatum, qui glandis coronam simulare est visus. Inferne vero notha haec glans velut fissa apparebat, eo quidem loco, quo latens sub praeputio cauernosorum corporum commissura sulcata continuabatur. Sed neque in hac glandis fissura, neque in vlla alia eiusdem fede, vllum hiabat foramen aut vrethrae osculum: sed binis solum triangularibus frenulis, inter se prorsus distinctis et dissitis, praeputium ad bina ista glandis diffissæ tubercula inferiora alligabatur. Ipsum praeputium erat admodum laxum, inferiori in primis parte, qua alias vrethrae subiicitur: antrorum vero retroflexum sulcato isti spuriae glandis fulco adhaerebat. Extrema haec, quae a natuitate ad fuerat, cutanea plica per circumcisionem deleta deprehendebatur. Sed posteriori loco, quo praeputium cum scroto connectitur, media in raphe, hanc ad fedem velut bisida, osculum vrethrae erat insculptum, consuetæ magnitudinis, et firme atque quasi calloso margine munitum: quod nunc prouida

prouida natura, vt saltem errorem emendaret suum, retinendique lotii molestias tolleret, vrethrae iuslerat esse finem. Quo ex emissario puer hic haud aliter, ac alii solent, per interualla cum vrinam emittebat, tum eandem iam fluentem pro arbitrio coercebat: luculento certe testimonio, nihil hic defuisse virium, quae ceteroquin in mictionis negotio conspirare solent. Verum enim vero licet per nouum hoc vrinae constitutum iter naturae desideriis satis esset consultum: idem tamen munditiae parum conueniebat. Quippe licet hic puer sub mictione, deriuandae a cruribus vrinae causa, singularem adhiberet cannulam: caueri tamen exacte satis non potuit, quin scrotum permingeretur.

§. IV.

Idem argumentum continuatur.

Sed patienter haec mictionis incommoda tulisset aeger, nisi alia longe grauior cura ipsi sub pectora fixa haefisset. Scilicet ad eam iam peruererat aetatem, quae vtriusque sexus discrimina nouit: quid dicam? nouit; immo vero ipso vsu experitur. Adde Iudeorum Polonorum mores, qui tempestiu connubia poscunt. Erant huic homini testes lucu-



lenti, a scroto plerumque criso et corrugato firmiter sustentati: nec totius corporis paullo habitior forma de laudabilis foecundique feminis copia desperari finebat. Praeter haec manifesta interdum deprehendebantur indicia, hunc hominem, etiam si ipse fassus non esset, Veneris irritamentis non destitui, nec esse contactum nullis ante cupidinibus. Ipse ego, forte satis mane accedens; deprehendi hunc aegrum in lecto decumbentem, penemque ipsius volumine auctum atque rigidum, licet sola superiora corpora cauernosa, absente quippe tertio, huic officio praeessent. Riguit eo tempore penis, qui iam paullo ante aduentum meum intumuerat, per quinque adhuc horae minuta, ut in mathematicorum scholis dici solent. Rigentis penis dorsum vix ab alio, naturae conuenienter formato, distinxeris; immo ipse margo spuriae glandis supra sulcum suum paullo magis eminebat: sed inferior superficies consuetu planior et patentior erat, explorantique digito sulcum, a corporum cauernosorum maiorum commissura ortum, distincte monstrabat, colliculique bini inferiores fissae glandis eminentius turgebant. Quaesitus ergo, appeteretne hoc in statu cum muliere congressum, prolixe adfirmavit, addiditque paullo post subridens, se hic loci a lasciuori quadam puella,

puella, quod se de foecundando vtero per penis vi-
 tium securam crederet, ad Veneris commercia esse
 incitatum, eandemque iam quinques fatis masculine,
 non sine communi vtriusque voluptate, iniisse, ef-
 fusio demum ad ipsum muliebrium atrium per posterius
 illud vrethrae ostium largo semenis apparatu. Immo
 accidere interdum per insomniorum ludibria, vt ob-
 scoeno huius modi profluuiio per noctem polluatur.
 Sed haec omnia non satis esse fibi ad leuandam animi
 aegrimoniam sollicitudinemque, quandocunque ta-
 cito secum reputaret, ex hac virilium suorum condi-
 tione sibimet, vi Mosaicarum legum, legitimo ma-
 trimonio interdic*i*. Proinde se suumque parentem
 maximopere a me petere, quodcunque possem, fe-
 rendae opis facerem periculum. Senfi omnino haud
 difficulter, in quam arduo spinosoque negotio ver-
 saturus sim, si naturae errores emendare conarer.
 Quoniam autem, vt in veteri est prouerbio, audaces
 fortuna iuuat, ab his conatibus nolui
 mihi temperare.

B 3

SECTIO



~~~~~

## SECTIO POSTERIOR CHIRVRGICA.

### §. V.

#### *Medendi ratio exposta.*

Ergo omnia, quibus forte huius penis vitium emendari posset, commodiorque tam lotio, quam semini via constitui, diligentissime perpendens, tandem in seligenda sequenti methodo substiti: non sine iustis argumentis ratus, hinc certe fore, vt partim virinae profluuium magis ad naturam, adeoque etiam ad munditiem, accommodetur, partim quoque seminalis liquor saltem in intimos muliebris vaginae recessus effundi possit; etiam vt efficax ille impetus deficiat, quo alioquin in naturali penis fabrica semen expelli solet. Ego vero haec meditatus ad illum ipsum sulcum, qui a corporum cauernosorum coniunctione ortus, inferne sub praeputio, secundum penis longitudinem, excurrebat, attendi, existimaque, commodum profecto ductum vrethraeque quodammodo aemulum excitatum iri, si praedicti modo sulci vestigia in incidendo praeputio, hanc ad sedem iam satis laxo, sequerer, vulnerisque vtrunque



que labium super cannulam plumbeam iustae capaci-  
tatis coniungerem, emplastroque glutinante firma-  
rem, donec suppurationis ope vulnus denuo coiisset.  
Quoniam haec autem non sine magnis aegroti dol-  
ribus peragi poterant, ipsius arbitrio permisi, vtrum  
efficacem hanc operationem perferre vellet, nec ne?  
Sed annuit protinus aeger, ad tolerandos quoscun-  
que cruciatus, explendae spei cauſſa, si quis alius,  
longe promptissimus. Ante omnia igitur duas confi-  
ciendas curaui ex plumbo cannulas, eius crassitie,  
quae catheterum chirurgicorum vulgo esse solet: al-  
teram rectam, suaque longitudine penis longitudini,  
ab anteriori apice ad posterius, illud vrethrae ostium  
vsque, respondentem, antrorsum vero retroflexa la-  
mina instructam, vt supra glandem sub deligatione  
firmari posset; alteram vero huic prorsus similem,  
nisi quod in posteriori et tenuiori fine nonnihil lon-  
gior effet et paullulum ita incuruata, vt hac parte per  
inusitatum istud vrethrae osculum commode immitti  
posset. Ad perficiendam autem, me praesente at-  
que dirigente, ipsam hanc operationem, applican-  
dumque deligationis apparatus, manu vſus sum dex-  
terrī eo tempore inter nostrates chirurgi, H Ü B N E-  
R I; qui etiam suo officio eximie perfunetus est. Ergo  
huic puero, in lecto decumbenti, pendulus penis  
versus



versus abdomen retroflexus, sinistraeque chirurgi manus digitis ita firmiter apteque simul apprehensus est, ut tota inferior penis superficies incisioni patet. Quo facto vniuersus iste praeputii locus, cui intra cutem suberat sulcus, ex cauernosorum corporum commissura oriundus, nigra linea, ab vrethrae exitu ad bifida usque sub glande frenula, quae suo exposuimus loco, accurate est notatus. Atque ad huius lineae ductum, satis profunde in istam cellulosam telam, ex ipso vrethrae osculo, consueti scalpelli (*Biflouris*) ope, incisum est praeputium, ut finis vulneris medio inter dicta frenula esset loco. Vidi profecto tunc, quantum spes habeat leuaminis in concoquendis doloribus: hic enim puer ne mutiuit quidem. Cum diducerentur incisi loci labia, curatius inquisui, vrethraene, aut corporis cauernosi ad eandem pertinentis, vestigium aliquod adsit, nec ne? Sed deprehendi omnino nullum. Sola velut flocculenta tela tegebat fossam, in longitudine commissurae, quae corpora cauernosa maiora iungebat, excurrentem. Ceterum ex vulnere parum sanguinis effluebat: paullo plus ad sedem incisi osculi vrethrae; forte quod eo loco incisio particulam laeserat canernosae partis, huc saltem, ut veri videbatur simile, vrethram comitantis. Ergo nunc ad manus



manus sumta est cannula ista prior, ARCAEI bal-  
famo inuncta, et, quam longa erat, diductis antea  
vulneris labiis, praedicto sulco ita imposita, ut ante-  
rior lamina latior spuriam hanc glandem operiret,  
linteis carptis fccis suffulta; posterior vero cannulae  
finis vrethrae ostium tantummodo attingeret, libe-  
rumque ceteroquin profluum virinae neutquam  
impediret. Tum utriusque vulneris labio, ut inter  
chirurgos moris artisque est, passim et per interualla  
adglutinatae sunt glutinantis cuiusdam emplastri  
laciniae, harumque ope circumducta circum cannula-  
lam incisi praeputii labia, donec semet inuicem con-  
tingerent. Quo facto, interpositis ad haec linteis  
carptis, itidem balsamo ARCAEI perunctis, confir-  
mata sunt vtrinque dicti glutinantis emplastri segmenta.  
Quibus omnibus demum, nec non anteriori lami-  
nae, glandem tegentis, super impositum est linteum,  
inuoluendo toti peni aptum: cuius extremi margi-  
nes, passim leuiter incisi, praedicto emplastro per-  
liti erant, media parte vacua relicta. Quo linteo  
ita, aliqua cum adstrictione, inuolutus est penis, ut  
in eiusdem dorso, et antrorsum super glandis lamina,  
margines, emplastro illiti, fibimet imponerentur et  
conglutinarentur; inferiori vero atque laterali parte  
vacuum esset emplastro linteum: partim ne sub qua-

C

libet



libet noua deligatione minores istae glutinantes laci-  
niae sua de sede detraherentur; partim ut sub suppura-  
tionis periodo pura linteui pars stillatitium pus sine  
impedimento bibere, mundumque seruare posset  
vulnus. Omnibus his absolutis conueniens fascia  
lumbis femoribusque est circumiecta, qua penis in  
situ erecto et ad abdomen conuerso coeretur,  
simulque quies in lecto imperata est aegroto. Inde  
enim cauebatur, ne partim immersae cannulae situs  
turbaretur, partim quoque ne effusa ex vrethrae  
osculo vrina incisis locis incommodaret. Singulis  
diebus cum omnis hic deligationis apparatus semel  
tantum per tres fere hebdomades esset repetitus, per-  
fecte coaluit vulnus, optima cicatrice inducta, adeo-  
que, extracta tunc demum cannula, canalem reliquit  
vrethrae vice postea functurum. Sed supererat nunc  
antea, quam in nouum hoc emissarium lotii via  
dirigi potuit, ut vetus istud et spurium vrethrae orifi-  
cium, quo haec tenus vfa erat huius hominis natura,  
prorsus antiquaretur et firmo coalitu elideretur. Eo  
consilio alteram illam cannulam, in apice modice  
curuatam, qua<sup>e</sup> supra descripta est, in nouum istum  
canalem circumspete intromisi, eoque extremo loco,  
quo inflexa erat, per saepe iam commemoratum oscu-  
lum in ipsam vrethram intrusi. Anteriorem vero  
huius cannulae laminam, qua glandi superincumbe-  
bat, denuo glutinante emplastro firmaui, ne pro-  
lapsura forte cannula curuato suo apice ex vrethrae  
veteri osculo excideret. Quum haec omnia ita  
apparata essent, vniuersum illum huius osculi marginem  
ex

ex omnibus in circuitu partibus satis profunde incidi iussi; vt in scarificatione fieri solet. Ea vero parte, qua scrotum spectabat, paullo longius, ad quatuor circiter lineas Parisienses, incisa est cutis; vt facilior labiorum vulneris per emplastra glutinantia esset contractio. Tunc pariter, ac in priori vulnere, super incurvataam cannulae partem scarificati vrethrae osculi labia adducta sunt atque laciinis glutinantibus arctissime firmata, interpositis antea paucis linteis carptis ARCAEI balsamo perunctis. Exakte simul superadditum est paullo maius emplastrum glutinans, supra penis dorsum transuersim progrediens; vt sub migratione progressuri lotii iter solum per cannulam dirigeretur, omnesque stillatiae eiusdem guttulae a vulnerato loco arcerentur. Fascia denique superintincta in eo tantummodo mutabatur, vt peni in deelui situ accurate retinendo magis esset idonea. Quippe hunc situm vrinae per cannulam emissio requirere videbatur. Hoc autem vulnus tota hebdomade serius, ac prius, licet longe minus esset, coailuit; id, quod facile adstillantis vrinae stimulo adscripserim. Exeunte vero demum totius curationis septima hebdomade extrahi potuit cannula, effluensque vrina primum nouum legit iter.

### §. VI.

#### *Scholion.*

Lubenter nunc laetus cum parente suo abiit  
set puer, nisi variae adhuc animum meum hac super

C 2

medela



medela torsissent sollicitudines, quibus me eximere conabar. Aliae ad *vrinae* emissionem spectabant, ad *feminis* aliae. Scilicet nouae huic vrethrae mucosi deerant sinus: in quibus efformandis diuinum opificem imitari non potui. Ergo metus erat, ne, si forte acris meieretur vrina, internus huius factitii ductus paries arrodat, et denuo nudis his in locis coalescat. Cereolos itaque Gouardianos (*Bougies*) mucilagini gummi Tragacanthae immersi denuoque siccaui. Quos qualibet vespera cubitum iturus puer aquae intinxit factitiaeque vrethrae indidit: a quibus haec sufficienter est defensa. Iuuandae autem feminis expulsioni per eam saltem sedem, qua noua erat vrethra, nullum omnino in promptu habui consilium. Ideo tamen de futuro foecundo huius hominis coitu non prorsus desperauit: partim quod potiores istae vires, quae in viro semen expellunt, ad et supra vrethrae bulbum suas habent sedes, sicuti ex physiologicis constat; partim quod, si qua forte femina in Venerem pronior cum hoc est congressura, arcato per proprium sphincterem vaginae aditu impetum addet allabenti per nouam hanc vrethram semini, ut incitatori cursu adfluat, hiantemque vterum efficiacibus nascituri hominis foecundet rudimentis.


v

01 A 6631

ULB Halle  
004 931 246

3





**Farbkarte #13**



PENIS  
IMPERFORATI  
SINGVLARE EXEMPLVM

30

PRAESIDE  
PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLG. THERAP. CHEM. ET BOTAN. PROF.  
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-  
FVRT. SCIENT. VTL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.  
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS  
MEDICI HOC TEMPORE PRODECANO,

AD D. IANVARII C<sup>1</sup>I<sup>2</sup>OCCCLXXXII.

DOCTORIS MEDICI HONORES  
LEGITIME CAPESSVRVS

RECENSET

SAVLVS MARCVS KOYNITZ,

FRANCOFVRTENSIS MARCHICVS.




---

TRAIECTI AD VIADRVM,  
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.